

Gest. 3. num. 12. S. g. 22.
1769 23

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
PRUDENTIA PRINCIPIS
CIRCA FOEDERA,
QVAM,
CONSENTIENTE AMPLISS. FACULTATE PHILOSOPHICA
IN
REGIA ACADEMIA GRYPHICA
PRÆSIDE
VIRO CELEBERRIMO ET AMPLISSIMO
DN. M. JOANNE CHRISTOPHORO
MUHRBECK
MORAL. PROFESS. REG. ET ORDINAR.

P. 162.

PRO
GRADU MAGISTERII
PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT
P E T R U S C O R T I N
S. S. THEOL. CULTOR
ET PHILOSOPHIAE CANDIDATUS.
CALMARIENSIS.
IN AUDITORIO MAJORI
DIE X. OCTOBR. A. R. S. MDCCCLXIX.
H. S.

GRYPHISWALDIE
LITTERIS A. F. RÖSE
REG. ACAD. TYPOGR.



САМОДЕРЖАНИЕ
ПОДГОРНОГО ГОСТИНАЯ
БИБЛИОТЕЧНОГО

ДЛЯ ПОДГОРНОГО
ГОСТИНАЯ
БИБЛИОТЕЧНОГО
САМОДЕРЖАНИЯ
ПЕТРИ СОЛЯН
СОЛЯН ПЕТРИ
САМОДЕРЖАНИЕ
ПОДГОРНОГО
ГОСТИНАЯ
БИБЛИОТЕЧНОГО
САМОДЕРЖАНИЯ

САМОДЕРЖАНИЕ
ПОДГОРНОГО
ГОСТИНАЯ
БИБЛИОТЕЧНОГО
САМОДЕРЖАНИЯ



PROOEMIUM.

Si verum effet, id quod haud pauci sibi persuadeant, neminem, neque jure, neque pro dignitate de quæstionibus, tam ardui momenti, ac illæ sunt, de quibus agere nobis est animus, judicare posse, nisi qui prudenteriam, illam humane vitæ moderatricem, non tantum præceptis, verum etiam & potius ipso rerum gerendarum usu partam, adeptus sit, vel qui artes principum abditas & arcana, tam imperii, quam dominationis, retrusa ipse non perveftigaverit, vel qui rerum omnium publicarum, quæ usquam terrarum extitisse comperiuntur, memoriam ab antiquissima vetustate ad hæc usque tempora repetitam non tenuerit, & hinc dicta, facta optimorum principum, populorumque ritus, instituta, mores studiosissime non perfpererit, non intellexerit: Si hæc, puta, omnia sibi constarent, ac necessaria judicatuero de prudentia principum effent requisita, nulli nosmet ipsi inficias imus, quod eo fere immodeſtia, arrogantiæ, immo stultitiae proceſſerimus, ut fatum *Phormionis* philosophi, quem quondam Hannibal, Poenus ille, cuius nomen apud omnes magna

A
est



est gloria, derisit, & cuius M. T. Cicero in Oratore mentionem facit (a), promereamur.

At enim vero, si id, quod verum, laudabile, justum & honestum est, non nisi e purissimis natura rerum, rationisque fontibus hauriatur: Si nihil vere sapienter decretum & prudenter exsecutum dici mereatur, quod honestum & æquum simul non sit; si itaque omnia facta gerendaque ad tribunal justi & æqui, eorumque principia simplicissima cuique rerum humanaarum non rudi intellectu haud difficultia, revocari debeant: Et si denique summis status Ministris atque experientæ omnes casus individuales lubens relinquit philosophus, ipse autem circa generalia præcepta, si non propria, tamen aliorum experientia rectaque ratione hausta, tantum versetur, certe nobis & veniam, & mitiora judicia prædicimus, pollicemur, speramus.

§. I.

Ad jura Principum transeuntia, seu *equiparantiae*, jus pandendi foedera refertur, per quæ conventiones & pacta inter se invicem gentium intelligimus, quæ eum in finem, vel in perpetuum vel longius tempus ineunt, ut suam utilitatem, majorrem securitatem, perfectionem & felicitatem promoveant & consequantur.

Ab hisce autem differunt *pactiones* & *sponsones*, quarum illæ pacta sunt, quæ præstaciones quasi transitorias, seu non iterandas, v. c. cum gens altera cum altera convenit de urbibus dedendis, de captiuis permutandis, de induciis post proelia mortuorum sepeliendorum causa factis, & ejus generis plura in se continent; haec autem sunt conventiones, quas Ministri, Legati, Ducesve sine mandato, vel expresso, vel tacito, vel præsumtivo, & quibus, *ratihabitio* deest, iniverunt.

Not. I. Non ab omnibus rite distinguuntur pactiones & foedera. Plurimi hanc negligunt distinctionem. Jure eam custodiverunt ZODINUS, III. WOLFFIUS & paucissimi alii quidam. Attendens ad fontes historicos, ad Orationem Spur. Posthumi ad populum Romanum contra Samnitarum *prætentiones*, & imprimis ad verba M. Ter-

VAR.

(a) Lib. II. p. 202. Ed. Sybillæ à Porta Lugd. 1588.

VARRONIS: *Pacis*, inquit, *principum populorumque est conventio temporaria &c.* attentus fundamentum distinctionis facile videbit. vid. LIV. L. IX. 9. 10. M. T. VARRO in Libris, qui existunt, de lingua latina, & quidem L. XI. de vita populi Rom. JO. BODINUS de Republica L. V. c. VI. CHRIST. WOLFFII Jus Gent. Cap. IV. §. 369.

Not. 2. Ex Livio & Varrone mox citatis satis superque conflat, *sponsores pacis*, usu latine loquentium, recte nominari, qui *alieno nomine pacem vel factum servatum iri, promittunt; sed consuetudo publica foennis curialisque scripturæ ad eos hodie adstringit hanc appellationem*, qui pacem vel factum quoddam alios quidem facturos vel servatores promittunt, verum nomine non alieno aut procuratorio, sed *suo & proprio*: sive id ipse faciant, sive per procuratores, mandatarios, legatos, Plenipotentiarios, quibus non nisi populariter loquendo competit *sponsorum* nomen, in illos quippe proprie congreens, a quibus *Spondendi* facultatem mendatorii acceperunt; Ipsos autem *Sponsores in actis & instrumentis Tractatum, conventionumque publicarum*, pro diversa negotiis Sponsionisque conditione, *Fidejussores, Expromissores, Custodes, Vindices, Executores pacis*, nominari videmus; cuius Sponsionis species excellentior est, quam, vocabulo peregrino, *Garantiam* vocant; cum nimis, gentes, quive in populo libero sumimam potestatem habent, inter alios pacifcentes fidem suam interponunt, seque effecleros promittunt, ut pax atque amicitia contracta seretur & laea reparetur. Ejusmodi Sponsionis seu Garantiae illustre specimen existat in Pace inter Reges Svecie & Poloniæ CAROLUM GUSTAVUM & JOHANNEM CASIMIRUM Oliva Ao. 1660 inita, artic. 36, LUDOVICO XIV. Reg. Gal. *Sponsore* seu Fidejussore existente. Vide Dissert. Cel. ULR. OBRICHTI de sponsore pacis c. 11. Sponsionem autem hanc, seu fidejussionem, cuius mox mentionem fecimus, nihil esse, ceu Ill. PUFENDORFIUS Lib. VIII. c. 8. §. 7. de J. N. & G. recte observavit, nisi implicitum foedus circa ferendum auxilium illi, qui contra pacem invaditur, adversus injuriae auctorem, credimus; Id quod in ipsis plerumque formulis talium sponsionum exprimi solet. Sumitur etiam alia significatio *Sponsio*, cum scil. ad contractus, quibus alea, aut fors inest, resertur, quando vel futurum eventum, vel etiam præteriti eventus nondum notorii, saltem iis, qui inter se contendunt, aut

A 2

alterius



alterius rei existentiam alter affirmat, alter negat, certo pignore utrinque deposito, quod illi cedat, cuius assertioni eventus aut res congruere deprehendatur, vid. PUFEND. L. V. c. 9. §. 4. CANZII Disc. Mor. §. 2050.

Not. 3. Quid de vi & efficacia Sponzionum in §o explicatarum tenendum sit, omni fere tempore varie multumque disputatum est. Vid. GROT. de J. B. & P. E. III. Cap. 22. Lib. II. C. XV. mom. 16. BODINUS de Republ. Lib. I. cap. X. WOLFF. de J. Gent. §. 468. MICH. HENR. GRIBNER. Jurisprud. Nat. L. III. Cap. 5. §. 7. DARIES Jurisprud. Univ. §. 985. Imprimis autem consuluntur dissertationes CHRIST. THOMASII & GE. BEYERI de *Sponsione Caudina & Numantina*.

Nos statuimus, certum quidem esse, gentem generaliter non teneri, ut ratum habeat pactum in iussu suo iustum, alioqui enim saepissime forsitan Duces, legative, pactis vinculisque iniquissimis suos principes atque populum obligare possent; at simul serio contendimus, certum quoque esse, cuius demonstrandi causa, vel centum in medium proferri possunt exempla, plerumque cavillationem sapere exceptionem non dati a republica mandati, quam respublica, quæ civem insigni cum potestate provinciae, vel exercitui praefecit, eidem merito omnia mandasse censeatur, sine quibus exercitus vel provincia, immo vel ipsa res publica servari non posset. Conf. JO. GOTTL. HEINECCI Elem. J. N. & G. Lib. II. c. 9. §. 213. Unde merito rationes Posthumii ciuiumque Romanorum & Ludovici XII Regis Gallorum, quibus illi pactum cum Samnitibus & Numantinis iustum, hic vero Sponzionem a Tremouille (Lud. Com. Thour. & Duc. Tallmont.) Helvetiis dataam, eluserunt, improbamus. vid. Liv. I. c. & IMHOFF in Geneal. Fam. Gal. Si enim fidei servantiores, quam in excogitandis cavillationibus ingeniosores esse voluissent, omnino, aut ratae habuissent Sponziones illas, aut res in flatum, in quo antefponzionem erant, restituissent. Potius cuique placebunt, quæ consules romani ratione captivorum ab Hannibale post cladem Cannensem Romanam misserum decreverunt, & imprimis respectu captivi, qui solus edicto non paruit, sed veteratoria fraude datam hosti fidem, callida interpretatione eludere tentavit, quippe quem vincitum Senatus ad Hannibalem misit, Vid. LIV. Lib. I. 3.

§. 2.

§. 2.

Multas subeunt divisiones foedera, quarum heic notatum digniores in medium proferre juvabit; sunt itaque vel foedera amicitiae, seu simplicia, vel singularis præstationis. Illæ sunt, quibus nihil aliud constituitur, quam id, ad quod jam antea rigorose lege naturali tenentur & obligant pacientes; *Haec autem feriuntur de rebus, quæ jure naturæ huius præcise genti p̄e alia perficié* & determinate non debentur. Foedera singularis præstationis (quæ etiam civilia vocari possunt, cum sc. simplicia s. amicitiae naturalia appellare luet) vel sunt æqualia vel inæqualia, prouti æqualitas vel inæqualitas præstandorum adeat.

Porro: Foedera vel sunt *definita*, ubi nempe præstanta præcisè enumerantur & determinantur vel *indefinita*, cum contrarium obtinet. Nec non alia *perpetua* sunt, alia *tempore definita*, seu in longius tempus duratura tantum. In primis autem notentur foedera *Commerciorum*, quæ mutui commercii causa percutiuntur; *Foedera bellica, & auxiliaria*, que vel bellum *offensivum* vel *defensivum* tantum, vel utrumque spectant, cum de jungendis adversus communem hostem viribus gentes paciscuntur, vel etiam *Neutralitatis*, cum quis promittit, se nullo modo bello se imminicere velle, vel interponere, adeoque nulli bellantium fucurrere vel nocere.

Sunt denique foedera *Clientelaria*, quibus altera gens alterius majestatem revereri & comiter colere, quo ab injuriis potentiorum tutior esse possit, obstringitur. Sic e. g. Urbes prædonum Tripolis, Algiera & Tunis clientele Turcarum subsunt, & Gedanum Poloniæ tutelam, & Genevates Helvetiorum venerantur &c.

Sunt etiam foedera *circa propugnacula*, seu de præsidiis aliorum in munimenta quædam, suorum finium tuendorum causa, admittendis; quorum (sc. Barriere Tractaten) notissima sunt, quæ Ser. Domus Austriaca & Belgium foederatum tam in pace Westphalica, quam Trajectina ad Rhenum icit. Foederum autem nobilissima fere species est pactum, quo bella inter gentes finiuntur, quodque *foederis pacis nomine infligiri*



gniri solet, & est conventio inter gentes, bello mutuo implicitas, qua controversiae per modum transactionis ad finem perducuntur.

Not. 1. Sunt, qui foedera *simplicia s. naturalia* tanquam iniuria, cultioribus gentibus *pudenda*, nec erga Deum sat reverentia, despiciunt & rejiciunt, in quorum numerum III. PUFENDORFIUS imprimis & GRIBNERUS referendi sunt. Vide illius J. N. & G. L. VIII. c. 9. §. 2. & *hujus* Princ. Jurispr. Nat. I. III. c. I. §. 1. not. 2. contra quos autem solide disputant KULPISTUS Coll. GROT. p. 94. HOCHSTETTERUS Coll. PUFEND. Super Lib. de O. H. & C. Exercit. XII. §. XLVII. CANZIUS in Disc. Mor. §. §. 3104. 3105. Omnia autem solidissime OBRECHTUS. Sponsi. pac. c. I. 3. cuius rationibus vietas lubenter damus manus. Nam 1. quod ad utilitatem hujus foederis amicitiae attinet, illud quidem obligationem a praecepto naturali descendente perfectiorem in se non reddit; sed novum tamen medium suppeditat: Quam vis enim ille, qui de pace & amicitiae colenda paclus est, & is qui non paclus est, aequaliter Deo, ad hoc observandum officium, obligentur, tamen ille, qui ejusmodi pactum icit, *insuper* tenetur & obstringitur praecepto *servanda fide*. Atque hinc populus, qui tantum naturalem e. g. pacem violat, minus peccat, quam qui in suu transgreditur legem, qua fidem servare jubetur, adeoque & de iniustitia in genere, & de perfidia adiuilla peculiariter, ad luendam poenam & laeso satisfactionem praestandam obstringitur. 2. Licet inter gentes cultiores paci naturali talia praesidia adornare, qua praecepto Divino efficaciam, majoremque auctoritatem concilient, superfluum esset; attamen adhibere media, quibus efficacia illa *in se abunde sufficiens* ad presentiores usus, expeditioresque in humana vita attemperet, nunquam *inutilis* cautio habenda est. Cum enim hoc plerumque hominum ingenium sit, ut, qui sibi eminentioris cudsonam potentiae praे alii consciē sunt, sola Divini Numinis veneratione immēdiata regi atque contīneri raro se patientur, & cum metus dedecoris, dannique, quod ex violatione fidei date, si non certius, tamē presentius atque apertius eminet, plus apud plerosque valeat, quam conscientia & senioris vindictae reverentia, haud raro videmus, eos, apud quos Divinæ ultionis lentitudine ipsa praeceptorum Divinorum auctoritas in oblivionem & contemptum evuluit, opprobrio vanitatis

tatis & perfidiae absterrerit, ne in eos irruant, quorum securitatem sciunt adversus se foederis religione, totiusque aede generis humani iudicio munitam. Unde constat, quod sicut parum reverens erga Divinum Numen utique foret, si pacem a Deo naturaliter preceptam foedere insuper stabilire *if hoc* proposito conaremus, quasi Dei iussum non satis iam necessitatis nobis attulisset, nisi & ipsi in idem ultro consentiremus, aut quasi ex nostro arbitrio ea obligatio quodam modo dependeret; ita eiusmodi propositum non soventes, sed rationibus mox adductis commoti, criminis irreverentiae erga Deum & foederum revera pudendorum rei existimari nequeant. Ad id genus foedera communiter referuntur non tantum *illud de se invicem non lacerando*, sed & *paeante GROTI L. III. c. 15. 5. ea*, quæ de mutuis commerciis & de jure hospitiū panguntur; Quod autem ad *huius* pertinet, monstravit *JO. SCHILTERUS* de jure hospitiū dissert. II., *ius hospitiū plura complecti officia*, quam quæ ex solo jure naturæ eliceri possint; & illa, puta commercia, eorumque admissio, eo minus officiis gentium perfectis adiuumerari queunt, quo magis constat, valde in arbitrio rerum publicarum & imperantium positum esse, utrum, & quænam commercia, exteris concedenda sint. Merito igitur tam commerciorum, quam de hospitio foedera, numero naturalium & simplicium excludimus. conf. HEINECCI Elem. J. N. & G. L. II. c. 9. §. 208. Et in horum loco foedera de *sabditis militibusque fugitiis non recipiendis*, & de *jure Albinagii non adhibendo*, ponere *nobis* licet; Nihil enim magis est naturale, quam ut *nobis* vindicemus id, quod est *nostrum*, ubique inveniatur, & ut denegatio hujus vindicationis injusta sit; Nec est naturali jure conveniens, quod bona defuncti exteri, vel peregrini pro rebus nullius habeantur, quæ jure occupationis in imperante civitatis translato, fisco cedunt, unde exteri jure successionis in bonis defuncti excluduntur, & per consequens neque in testamento institui possunt hæreses.

Not. 2. *Foedera inæqualia*. H. GROTIUS L. I. c. XXI. 1. nimis stricte sumere nobis videtur, illa per eiusmodi tantum foedera explicando, in quibus gens altera alteri perpetuam quandam dignitatis præcedentiam concedit, promittitque ejus inæquatem in primis conservare, revereri & comiter colere, h. e. modeste & prudenter se ad ejus placita attemperare; quæ quidem foedera etiam ex nostra definitione

tione inæqualia, ratione præstandorum inæqualitatis, vocari possunt, potiori tamen jure *iniqua* appellantur, (quam denominationem apud Livium, aliosque saepius observavimus,) cum ejusmodi foedera re ipsa cum diminutione quadam maiestatis conjuncta sint, certoque respe-
ctu æqualitatem gentium naturalium auferant. Et cum porro GRO-
TIUS ad foedera inæqualia, *illa de jure advocatæ & Mundiburgii &c.* resert, manifestum est, heic confundi foedera clientelaria, tutelaria & inæqualia, seu genus & species, quæ tamen ab antiquis & accur-
tioribus distinguntur scriptoribus.

Not. 3. Foedera ratione præstandorum indefinita, uti sunt ra-
cissima & periculi plenissima, ita vix eorum illustrius exisit exem-
plum, quam illud Pontificis Romani & Ducis Ferriensis cum HEN-
RICO II. Gallorum Rege, quo iste amicos Regis pro suis amicis, ho-
stesque Regis pro suis hostibus, sine omni limitatione & exceptione
habere tenebatur. Conf. HOCHSTETTERUS l. c. §. XLVIII.

Not. 4. Ad officia & obligationem adcurate determinandum foedera-
ti, respechū auxiliorum in bello offensivo, vel defensivo tantum,
præstandorum, requiritur fixa & ante foedus initum rite determinata
notio belli offensivi & defensivi, quæ si negligitur, hoc negotium
valde semper evadet irritum; Si enim semper diceretur, eam tantum
gentem bellum gerere offensivum, quæ alteram prior invaderet, &
vice versa, res esset in aprico; sed, cum offensio non solum vim prius
illatam significet, (unde bellum offensivum est, cum imperans in-
juriam, cui inferenda hostis studet, antevertere conatur & defensivum,
quando vim ab alio prius illatum propulsat) sed etiam injuriam
quancunque interversione coquilibet momentis juris allatam denota-
re possit, conflat, bellum offensivum esse, quod animo dannum
reparandi geritur, *sive gens prior invaserit, sive invasa sit*, bellumque
defensivum esse, quum princeps injuriæ ab alio arguitur, *sive invasus,*
sive aggressor sit. Conf. CANZII Disc. Mor. §. 1232. Quæ quidem
diversæ vocum significationes multas pepererunt logomachias &
anam præbere possunt cavillationibus, quæ omnes facile evitantur, be-
ne notata distinctione inter bellum off. & defensivum *interne & ex-*
terne tale.

Not. 5. Foedera auxiliaria non semper ad certum quendam nu-
merum militum, navium & classiariorum mittendum obligant; ad-
sipa-

Stipulantur etiam *subsidia pecuniaria*, si forte ob distantiam gens altera alteri alio modo succurrere nequeat, quæ subsidia in se spectata nihil ignominiosi continent, sub certis autem considerata circumstantiis minus honorifica reddi possunt, cum scilicet, alteram obstringunt gentem, ad quæcumque placita alterius fesse attemperandum, & sic porro.

Not. 6. *Foedera pacis*, quæ non in perpetuum sed in longius tantum tempus, si vel L. & C. annos sanciuntur, nomen foederis non mereri, sed induciarum tantum, existimant **FUFENDORIUS** L. VIII. 7. 4. & **HEINECCIUS** L. II. c. 9. §. 117. quibus faciles annuimus.

Not. 7. Divisio foederum in *personalia* & *realia*, quorum illa solam utilitatem regnantis ejusque familiæ, haec autem ipsius reipublicæ spectant, in Democracy nulla est, & etiam in Monarchia pro distinctione æquivoci, non pro divisione vera, recte a **CHRIST. THOMASIO** Inslit. Jurispr. Div. L. III. c. VIII. §. 26. habetur; foedera enim personalia, quatenus semper, Principe defuncto, exspirant, potius ad pacta principum privata pertinere videntur.

§. 3.

Sic rite determinatis foedere ejusque speciebus, quid per prudentiam intelligamus, indicandum est. Distinguunt Doctores, quantum quidem nobis constat, omnes inter sapientiam & prudentiam, per illam intelligentes, aut scientiam felicitatis, aut perfectionem, habitumve illum animi felicem, fini bono & laudabili vera & efficacia media subordinandi; per hanc autem indigitantes facultatem, ea, quæ sapienter decreta sunt, vel, quæ sapientia ante quasi delineavit, ita exsequendi, ut, quæ decreto improvisa occurront, in rem præsentem vertantur, unde prudentia, quæcumque inexspectata, sive media, sive impedimenta, vel vestigio adhibere, vel removere, docet. Quibus curatius pensitatis, distinctionem levioris momenti prudentiam interesse & sapientiam, credimus; quippe utraque circa media fini obtinendo subordinanda versatur, cum nimirum altera in casibus specialibus atque individualibus, altera in generalioribus occupata est, unde prudentia in se nihil

B

est,



est, nisi ipsa sapientia in hoc vel illo casu individuali adhibita; Et hinc per prudentiam Principis circa foedera intelligimus divam illam sapientiam, ita sibi providendi, ut ea demum extruantur foedera, quæ finem eorundem vere promoteant, ab iis autem caveatur, quæ quodam modo securitati veræque felicitati reipublicæ nociva sunt. De hac autem acturi in quæstiones imprimis oculos figamus attentos: Anne necessarium sit, ut foedera ineantur, vel, consultius ne sit, foedera cuiuslibet generis evitare? Quænam, cum quibus, quando, & quomodo ineunda sint?

§. 4.

Non desunt, qui & utilitatem & necessitatem foederum spernunt atque negant. Quorum enim, ajunt, ejusmodi patera, quasi Deus, humanitas & natura non hominem homini satis conciliat, & quasi progenies, quæ Deum & naturam contemnit, verba & ceremonias curaret (a). Nonne annales gentium dilucide monstrant, foedera fæpissime peperisse maxima infortunia & miseras multorum millium hominum atque innocentium, ruinasque unius imperii sepulcrum alterius paravisse? Quæ circumspectio, quæ sapientia, quæ prudentia a cavillationibus eorum, qui foedus negligere, infirmare vel penitus rumpere student? Si enim non agnoscunt verum tabularum foederis sensum, quis argumentis philosophicis, rationis & æquitatis, quibus non adsistunt multa testium armatorum millia, eos convincat? Et si agnoscunt, confiteri autem nolunt, quis sine bellicis confessionem extorqueat tormentis? Nonne ubique terrarum principiorum Carneades atque Lyssandri vigent & florent amici, qui cum hoc versuti & pleraque fraudibus mifcentes jus in sola ponunt utilitate, qui veritatem mendacio nihil meliorum ajunt, sed utriusque pretium & dignitatem usi definiunt, & qui pueros *talis*, viros *sacramentis* decipi debere jactant (b); vel qui cum Anaxarcho blanda oratione

(a) Conf. Thomas Morus in Utopia L. II. nec non Thom. Sigefridus apud Wahremundum ab Ehrenberg, seu Eberh. Weyheum (hoc enim verum nomen auctoris est, in Meditamentis pro foederibus &c. p. 207).

(b) Quamquam Carneades' destabilia, respectu justitiae, fovebat principia negans

◎ ◎ ◎

tione summis persuadent imperantibus, *Iustitiam ob id Jovi as-
fidere, ut intelligeretur, nihil a principibus iuste fieri posse* (c)?
Eltne stultum immo stultissimum, in aliorum incurrire peri-
cula, & quidem sine certa quadam commodi spe in nos, no-
stra in necessitate ac casu angustiae redundatur? Quæ cum ita
sint; quam quæso utilitatem exspectas foederum, & quæ te
urget necessitas?

Non procul a veritate ab esse videntur ita sentientes, nec
valde refragare possumus, eos sepius recte sapere, qui se se a
foederibus abstineant; Neque enim sine iniquitate affirmari
potest, *hac solennia pacta felicitati cuiusvis reipublicæ absolute
esse necessaria, neque negare sustinemus, testante experientia
tot armata exemplis, errores, falsas de eo opiniones, quod
vere est bonum, utile & iustum, cavillationes & fraudes, uti
sepiissime ita infelicissime finem evertere foederum; tamen vix
quisquam serio ibit inficias, talem quandoque reipublicæ oriri
posse statum, quem sine omni foedere & confociatione nemo
unquam posset servare salvum. Nolumus repetere, quæ supra
de foederibus naturalibus §. 2. N. 1. indicavimus, sed eis potius
quedam ex historia adjicere exempla, quæ infortuniis ex foe-
deribus ortis opposita satis monstrabunt superque, varias ad
hunc usque diem societas, respublicas atque imperia existere*

B 2

ac

negans ullam dari, quæ non ex' mera utilitate, quam rite non determin-
nabat, dependeret, nec non optimas causas calumnia ingenii ludificari
solebat, ut telantur CICERO L. II. de Republ. apud Nonium, voce *ca-
lumnia*, & Laelius Lib. V. C. 16. 17. tamen ipse qui Romæ, au-
diente Censorio Catone, non minoribus viribus contra *jusitiam* dicitur
differuisse, quam pridie pro *jusititia* dixerat, *injuslus vir non fuit*.
QVINTILIANUS Inflit. Orat. L. XII. C. I. Lysandrum autem omnium
hominum astutissimum, versutissimum, partimque maxime studentem
fuisse dicitur. XENOPH. de Reb. Græc. L. III. PLUTARCH. in Agefil.
& Lacon. Apopht. vide BAILE Art. *Carneades* & *Agephilus* II.

(c) Hic Anaxarchus, de quo Diogenes Laërtius L. IX. in colloquiis cum
Alexandro Magno principium tam impium primus, utifertur, illustrare
& defendere studuit; dignus autem hic, qui acerbo supplicii genere ple-
ceretur, & ipse, quam statuit, principum *jusitiam* experietur, in po-
tentatem Cypri Regis, cui omnium infensissimus erat, incidebat, qui
illum incudibus superpositum malleis contundi jussit.



ac florere, quæ omnia, non favore & benigna forte foederum adjuta & sustentata misere periissent. Sed etiam hæc linquimus arma, modestia commoti debita; cui enim facta tam nota atque indubia narraremus?

§. 5.

Certo igitur certius est, foedera interdum & utilia & necessaria esse, non autem omnia, non cujuslibet generis & speciei, pauca illa, quæ nigro notari nequeunt carbone, admittenda tantum sunt. Et ad hoc monstrandum, in questionem, quænam, salva principis prudentia, iniiri possint foedera? inquiramus.

Nulla ferienda esse foedera, quæ fini eorundem non convenient, certe & indubie statuimus; adeoque omnia generaliter & jure damnamus, quæ vel veram suffodiunt reipublicæ utilitatem, vel securitati, omni, quo fieri potest, studio providendæ, minantur; Et cum nihil revera & constanter sit utile, quod non simul justum & honestum sit, omnia foedera, quæ non sunt honesta, seu foetus cæcitatis, imprudentiæ, insanæ, rejicimus, abominamur. Non quidem nescimus, per plurimos artis regnandi peritos scilicet & temporum, utidicuntur, *callidos honestum ab utili, virtutem a suo præmio, scelusque a poenis separando, aliter sentire, (dignum autem, qui dedecus & turpitudo generis humani salutetur, eum censemus, qui hæc a se invicem primus separavit) (d).* Cum hi, utilitatem, sive fit vera, sive falsa, utramque facere paginam, arbitrentur, quamlibet machinationem, omnique perverbi politici stratagemata quantumvis a justitia, virtute & honestate abhorrentia, laudanda & comiter colenda esse putant, cum ratio fatus, (cujus sub larva iniquissima plerumque teguntur,) talia exigit. Quam ob rem etiam novimus, foedera de rebus maxime illicitis non rara esse, sed millies mille criminis, sceleraque sociare pacientes. At, uti hæc non nisi foeda dicenda sunt foedera & intime abominanda, omnique ligandi vi destituta, *(inhonestarum enim rerum nullam esse Societatem, recte non tantum legibus*

Ro-

(d) vide JOH. GEORG. HEIN. FEDERI, *Viri Cel. & Prof. Götting. Grundrisse der philosophischen Wissenschaften*, Cap. V. §. 14.

Romanorum & omnium cultiorum gentium civilibus sed & limpidissimo Jure Naturæ, sanctum est,) ita nihil nisi infortunia, calamitates & quævis consecutaria infelicissima, quæ tandem rempublicam, licet optime instructam & munitam, defruunt, inevitabili modo progeniunt; Non enim a poenis naturalibus gentes eorumque principes eximere potuit sapientia & justitia summi Numinis, nec naturam actionis per se prævæ & turpis he personæ morales mutare queunt; quæ igitur naturaliter exinde sequuntur mala, certissime tandem sentient, non minus ac quælibet persona physica fructus acerbissimos actionum suarum turpium denique consumet. Ne autem existimemus, hanc veritatem *a priori* tantum monstrari posse; Intime etiam persuasi sumus, eandem quoque *a posteriori*, ex Historia, ex annalibus imperiorum ad liquidum ostendi, cuius quilibet, qui historiam, rationesque eventuum oculo philosophico & pio insuetur, se convictum reddere potest (e). Unde universaliter concludimus, principem sapientem vel vere prudentem, ea tantum admittere & colere foedera, quæ de rebus licitis, honestis, veræque utilitati convenientibus, pacta sunt. Irridentur quidem a quibusdam principes tam pie, juste & humaniter cogitantes, & etiam non raro ab eruditis, virisque non unico æstimationis titulo, (quorum nomini & famæ, ne eis nota foeditatis inuratur, parcere nobis licet.) Irridentur! manifeste tamen confitendum est, sanum quemque, & cuius *ex meliore luto finxit praecordia Titan*, non sine gaudio & pia veneratione audi re effata illa, digna, quæ in æternum celebrantur, Agesilai &

B 3

Pa-

(e) Hanc thesin ex historia demonstratu, viro annualium populorum rite perto non adeo difficile esse creditum. Multa exempla etiam nobis se præbent, ceu manifesta, unde hec veritas illucescere videtur. Ocurrunt quidem interdum varia dubia & difficultates haud faciles dissolutu, partim propter defectum sufficientis cognitionis historicæ, præcipue autem propter secundum illud partium studium, quod saepius inique facta atque injusta coloribus justitia pinxit; Tamen eas ceu invincibilis Critico exercitato non æstimamus. Ejusmodi opere & demonstratione vix quicquam utilius, nihil nobilius existimamus, & eruditus hunc laborem rite & digne peragens, non tantum mundum sibi obstringeret crudatum, sed & integras gentes, quarum imperantes ad seniora forsitan politica principia allicerentur.

Papiniani, quorum ille: *Bene si justum est: si minus, dixi tantum, non & promisi;* hic autem: *Ne quidem credendum est, nos ea facere posse, quæ contra bonos mores sunt, aut pietatem, exsultationem, verecundiamque nostram laedunt.* Nimurum lege & vinculo constringimur, ita ut hoc ipso omnis potestas nobis admittatur, quicquam committendi, quod cum lege pugnat (f). Neque sine intima lætitia & reverentia principi optimo digna, legi possunt, qua hue pertinencia in *Dono suo regio ad filium præcepit JACOBUS I. Justa,* inquit Rex eruditissimus, tantum sunt bella & foedera honestis modo de cauiss suscepta. Ideoque ante omnia prospice, ut tuis a partibus iustitia sit. Cum aliis Principibus, tanquam fratribus tuis iustitiam & benevolentiam colito. Quidquid promiseris, vel cum tuo damno præstolo; humanitatib; officiorum quasi initio cum singulis certamine. Ut enim apud omnes, ita maxime apud hos candoris & fidei laus tibi querenda est; Et christiana charitatis præceptum servandum, ut alteri facias, quod tibi factum cupis. — Afflitorum Principum, sed innocentum, succurre calamitatibus. — Priusquam bellum vel foedus susperis, Regis illius a Christo Luc. 14, 31. 32. descripti prudentiam amulare (g). Ita sentivit hic pius & justus Princeps, sed Ei non mera fuerunt verba, ipsa enim re suam probavit tentantiam; Et hinc ne FRIDERICO V. quidem, Elect. Palat. filia dilecta marito ob injustam caussam succurrere voluit, nec ullo modo foederi vel bello Bohemico se immiscerit. Opinatur quidem Cel. GUNDLINGIUS, hoc pueriliter, redicule & stulte actum esse (h) sed prodit, eo ipso nisi forte ironice disse-

(f) Celeb. JO. FRANC. BUPDEI dissert. Polit. de Ratione status circa foedra §. 17.

(g) Potentissimi Angl. Regis Jacobi Regum doctissimi *Donum Regium*, sive de institutione Principis, ad Henricum Filium, p. m. 46. Edit. Joh. Christ. Beckman.

(h) NIC. HIER. GUNDLINGII *Discurs über BUPDEI Politic.* Cap. V. §. II. Jacobus I. inquit Vir celeberr. & doctiss., hat kindisch raiſonnirt, da er seinem Schwiegersohn, Friedrich V. nicht hat wollen bestehen, weil er malam cauissam hätte, und sich wider deni Kayser anfgelehnt. O, du aymer Tropp! Mancher denket, er habe wohl raiſonnirt, aber es ist albern. Hier kommt daran nicht an: Fridericus Bohemicus Rex peccaverit?

differuerit, detestanda principia CARNEDIS, LYSANDRI, THEMISTOCLIS & CYRSILLI, non autem justi ARISTIDIS (i) non Atheniensium, qui perutile consilium THEMISTOCLIS, quia non honestum erat, repudiarunt (k) vel qui CYRSILUM illum,

verit? Gesetz auch, es ist wahr, wie Jacobus raiſonirt, Fridericus habe malam cauſam, ſo hätte er ihm doch nicht desto weniger beſteben können, weil es auf ihm ſelbst würde loſgegangen feyn, wenn Fridericus gänzlich ſupprimirt worden. Es muß da eine Balance unter den Potenzen in Europa gehalten werden, Jonſt ſupprimirt der eine den andern. Eben ſo wurde raiſonirt bey den Könige in Pohlen. Die Schwestern den ſagten: Es können niemand demſelben beſteben, weil er den König in Schwerden ohne alle Raiſon attaquierte. Wenn man es auch wollte zu laffen, daß er es ohne Raiſon gehabt, wiewohl noch alles kan defendire werden, ſo kan man deswegen nicht ſagen, daß niemand ihm beſteben ſollte, und den König in Pohlen laffen zu Grunde geben. Wir ſehen nicht auf juſtam cauſam, fonder was nützlich iſt. Wenn einer noch ſo juſtam cauſam hat, ſo ſiehet man doch, daß, wenn er obtiniret, er hernach ſucht andere zu ſupprimiren. Wenn er auch gut iſt, iſt deswegen ſein Succellor ſo? Daber iſt niemand, der die Conduit Jacobi I. approbiert, daß er ſeinen Schwiegerſohn ſo sterben laſſen. Die Raiſon d'Etat erfordert, andern bezyfflichen, das iſt aber kein Teufelswerk, fonder ich ſuſche mieb zu conſerviren. Vellemus ſane, ſic ferio non cogitasſet hic vir celebris, ſed, ut vel ironice, more, uti credimus, Machiawelli, ita locutus fuſſet, & auditores ejus qui hunc Discurſum ediderunt, & quorum adnotatiōes tantum forte continent, cum rite non intellexiſſent; id quod etiam fieri potuit, & a probabilitate non procul abeft, quia ſepiuſ obſervavimus errores & vitia, que vix viro tam eruditio imputari queunt.

(i) Narrat quidem Plutarchus in Aristide, Theophrastum dixisse, etiam Aristidem, licet in rebus privatis & erga Cives Summi iuſum, interdum in rebus publicis iniqua perpetraſſe. Sit ita; quis enim mortaliū interdum non errat? Nihil tamen est certius, quam quod Aristides etiam in rebus publicis exempla illuſtrissima ſue iuſtitia, quod in sequenti nota probare lubet, ediderit, unde & Bailius, nobis quidem judiciis, valde erraverit, cum eum propter necſitatem, que ſepiuſ urget imperantes, excuſare ſtuduit. Vide Art. Aristides, & conf. Art. Amphiaraus (H).

(k) Themistocles poſt victoriā ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione, ſe habere consilium recipublice ſalutare, ſed id ſciri opus non eſt; poſtulavit, ut aliquem populus daret, qui cum communicaret; datus eſt Aristides. Huic ille, classem Lacedæmoniorum, que subdu-

◎ ◎ ◎

lum, ob consilium honestati repugnans, lapidibus obruerunt (1).

§. 6.

Monstravimus §o precedenti, nulla foedera inhonestae iocenda esse, & quidem ex eo fundamento, quia finem foederum evertunt & vere utilitati reipublica contrariantur. Inde autem non concludendum est, omnia honesta ineunda esse. Multa enim foedera in se spectata possunt esse honesta, quæ tamen respectu hujus vel illius reipublicæ status, omnino declinari & evitari debeat. Sic in genere honestum est, innocentii ejusque calamitatibus, quam invasor injustus opprimere allaborat, succurrere; at princeps ejusmodi foedus pangendo, sine respectu ad suas vires periculumque, cui exponerentur ejus subditi, facile erga suum statum atque populum, cuius felicitatem & securitatem imprimis ad promovendam & conservandam obstrictus est, injustus evadere potest, & ei forsitan contingere, licet maxime invito, ut quæ promiserit, non praestare possit, quo nihil ineptius, nihil bono principi indignus. Unde prono fluit alveo, quod antea quam foedus panguitur, sollicite disquiratur non tantum de honestate absoluta foederis, sed etiam de *hypothetica*, h. e. anne sine injurya in subditos, eorumque commodum, tranquilitatem, incrementum viuum atque opum, & quæ sunt cetera, hoc vel illud pactum inire queat; Jure itaque omnia pacta, quæ fini, cur coaleverint homines & extiterint respublicæ, h. e. securitati & majori fe-

Eta esset ad Gytheum, clam incendi posse; quo facto, frangi Lacedæmoniorum opes, necesse esset. Quod Aristides cum audisset, in concionem magna exspectatione venit: dixitque, *per utile esse consilium*, quod Themistocles afferret: sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt, totamque eam rem, quam ne audiverant quidem, auctore Aristide, repudiaverunt. CICERO de Offic. Lib. III. p. m. 524. Conf. PLUTARCH. in vita Themist. & Arist. Addit hic noster Tullius: „Melius hi quam nos, qui pi- „ratas immuneis, socios vestigialeis habemus. Maneat ergo, quod „turpe sit, id nunquam esse utile: ne tum quidem, cum id, quod esse „utile putas, adipiscare. Hoc enim ipsum utile putare, quod turpe sit, „calamitosum est.“ Ibidem.

(1) DEMOSTHENIS Orat. pro Ctesiphonte de corona.

felicitati, probabiliter minantur, plane exterminamus. Et si quis insipienter tale iniverit foedus, mox illud frangat, neesse est, ne se, cives, totumque imperium in fauces omnis generis calamitatum, miserique interitus conjiciat; Licit enim foedera *sancta* & *integra* semper servanda sunt, hoc tamen de licitis & moraliter possibilibus tantum tenendum, & ad illicita, ceu impossibilia nullam dari obligationem, constat. Quid itaque de sapientia & prudentia principis, quae hafce regulas generales circa omnia foedera, cuiuscunque nominis, obserandas negligit, statuendum sit, per se liquet.

§. 7.

Hisce regulis generalibus nixi ad specialiores transgredi, & quid ulterius suadeat prudentia, indicare possumus. Quod itaque ad *foedera amicitiae* (§. 2. N. 1.) pertinet, ejus sunt indolis, ut semper sine haesitatione pangи possint. Semper sunt honesta & nihil afferunt detrimenti. Et perperam aliquis objicit, quod etiam hae non sine quadam dubitatione ferienda sint, & quidem, tam ratione personae, cum qua pacificitur, (non enim cum quocunque, e. g. cum infideli, vel christiani nominis hoste paciscendum est) quam respectu impedimenti, quod inde enasci potest, cum oportet, ut inimicis ejusmodi confoederati, quibus injustum inferri bellum, aliove modo lacefit, sive sensu humanitatis & iustitiae commoti, sive foedere quodam singulari*prosternionis* cum his inito, coacti, auxilium ferre debeamus, quod quidem auxilium ut injuriam & violationem foederis amicitiae cum eo iicti declarare, & hinc sibi ansam etiam nobis bellum inferendi funere potest. Quod enim ad prius, seu, quod non debeamus cum qualibet gente foedus amicitiae facere, attinet, ad illud mox infra sufficienter responderemus, & posterius nullo modo stringit; Vi enim foederis amicitiae omni, quo fieri potest modo, a lefione, h. e. violatione jurium ejus naturalium, abstinendum; dum autem ejus inimico, qui justus patitur, & erga quem suas non observat obligationes, auxilium ferimus, minime gentium jura ejus naturalia violamus, quippe nos nostras eo ipso exsequimur obligationes & officia tantum; Ergo hinc ei nulla conquerendi est

C

est



